

sum, c. *Ad abolendam*. § *Statuimus*. et c. *Excommunicamus*. § *Moneantur, de Hæretic.* Et proinde, paucis loquendo, iudices sæculares in ordine ad crimen hæresis, nullo quidem modo se possint intrromittere respectu cognitionis; bene tamen respectu executionis, ad requisitionem Ecclesiæ. Abbas. cit. c. *Cum sit generale*, n. 49, h. t.

160. *Excepta simonia*. — Similiter, quod simonia sit crimen mere ecclesiasticum, atque ideo iudex sæcularis non possit aliquo modo se de eo intrromittere, neque cognoscere, tenet Abbas d. c. *Cum sit generale*, nu. 20, h. t. Julius Clarus in *Practio. criminal.* l. V, § *Simonia*. n. 7, Farinacius d. quæst. 8, n. 128, citans doctores communiter. Et merito: nam simonia dicitur hæresis, can. *Quicumque*, et can. *Cum liqueat*. 1, q. 1, et c. *Quoties de Simonia*, et alibi: ac proinde, sicut hæresis est crimen mere ecclesiasticum, ita et simonia.

161. *Et quid de læsione infra dimidium justipretii?* — Posset hinc etiam excipi læsio, sive deceptio infra pretium dimidii pretii, in venditione facta. Siquidem venditor deceptus infra dimidium justipretii, non habet actionem in foro civili, l. II, C. *de Rescindend. vendit.*, secus in foro ecclesiastico. Nam, cum in foro conscientie quilibet notabilis læsio compensari debeat, simulque Ecclesia procedere valeat super quolibet criminali peccato, c. *Novit*. 13, § *Cum enim; de Judiciis*: recte propter gravem læsionem, etsi non excedat medietatem justipretii, potest iudex ecclesiasticus adiri ut cogat peccantem, etiam per censuras, si opus fuerit, ad penitentiam et satisfaciendum graviter læso. Fachineus, lib. II, cap. xxv; Engel h. t. n. 65, et alii. Sicque crimen gravis læsionis infra dimidium justipretii, est fori dumtaxat ecclesiastici, non mixti: atque idem dicendum de similibus delictis, quæ in foro civili non puniuntur.

162. *Aut, quando queritur de valore, et honestate actuum?* — Additur insuper n. 158, « quoad pœnam irrogandam. » Quia, si queratur de valore ac honestate actuum, puta, an tale iuramentum sit licitum ac servandum, necne; an talis contractus sit usurarius, necne; an matrimonium validum, necne ab ejus violatore fuerit commissum adulterium, necne; ac hujusmodi: tunc tantam causarum cognitio privative pertinet ad iudicem ecclesiasticum. Secus, quando de talibus constat, atque agitur solummodo ad

pœnam delinquentibus imponendam: quia hanc potest uterque iudex imponere; ecclesiasticus quidem secundum canones; sæcularis autem secundum leges imperiales, aut territoriales. Abbas cit. c. *Cum sit generale*, n. 21, h. t. et alii, atque concordant dicta superius n. 152 et 153. Occasione cujus

163. *Punitus per iudicem sæcularem super crimine mixti fori, an possit puniri etiam per ecclesiasticum; et econtra?* — Queritur III. Utrum punitus per iudicem sæcularem super crimine mixti fori, possit denuo accusari ac puniri per iudicem ecclesiasticum, et econtra? Resp. I. Quando pœna ab alterutro iudice inflictæ fuit satis sufficiens ad criminis punitionem, eique commensurata; tunc punitus in uno foro non potest amplius desuper accusari ac puniri in altero foro. Ita Abbas in c. *Tua*, n. 5, de *Procurator*. et c. *Cum sit generale*, n. 4, h. t.; Covarruvias, lib. II, *Var. resol.* cap. x, n. 6; Barbosa in c. *Felicis*, nu. 38, de *Pœnis*. in 6, et alii ab his citati. Ratio est, quia nec Deus iudicat bis in idipsum. Naum. cap. 1, et can. *Sunt phœres*; § *Auctoritas de pœnit.* dist. 3; nec de delicto unius hominis sæpius sæpius queritur, c. *De his criminibus*. 6, de *Accusation*. Simulque bona fides non patitur, ut semel exactum iterum exigatur. Reg. 83. juris in 6.

164. *Saltem, ubi imponitur pœna nimium levis ad vindictam*. — Resp. II. Loquendo tamen de atrocibus delictis, ac ubi in uno foro imponitur pœna nimium levis ad vindictam, ut puta excommunicatio (quæ potius est medicinalis, non punitiva et mortalis, cap. I. de *Sentent. excomm.* in 6.), nihil obstat, quominus crimen illud etiam in altero foro accusari et puniri valeat. Ita Abbas, et Covarruvias, ubi supra, Joan. Andreas c. *Felicis*. n. 8. de *Pœnis*, in 6; Engel h. t. n. 76, et alii plures; contra Barbosam in d. c. *Felicis*. n. 38, et alios, quos citat. Ratio conclusionis desumitur ex l. *Placet*. § *Si quis*. C. de *Sacro-sanct. Eccles.*, estque canonizata in can. *Generaliter*; § *Placet*. 16. q. 1, ubi in transgressores dictæ legis, seu immunitatem personarum ecclesiasticarum violantes, duplex pœna, ab utroque foro infligenda, statuitur, illis verbis: « Si quis contravenerit, post debitæ ultionis acrimoniam, quæ erga sacrilegos promenda est, exilio deportationis perpetuo subdatur. » Concordat cit. c. *Felicis*. § *Per hoc quoque; de Pœnis*, in 6. ubi dicitur, quod per illas pœnas, quas ibi pontifex promiserat ac statuerat occidentibus, aut percutien-

tibus cardinalem, non adimatur facultas sæcularibus potestatibus, quominus contra tales possent procedere, ipsisque imponere pœnam legalem contra sacrilegos statutam. Idem ergo dicendum de aliis criminibus atrocibus mixti fori, ob paritatem rationis: quidquid contradicat Glossa ibid. § *Adimimus* dicens, istud esse speciale in dicto casu propter criminis horrorem; regulariter autem secus esse. (ADNOTATIO XXXII.)

§ VIII.

DE MODO EXTRAORDINARIO SORTIENDI FORUM RATIONE PRÆVENTIONIS, ET EX LEG. DIFFAMARI, AC ALIIS.

Præventio jurisdictionis, quid? — Queritur I. Quid sit, et qualiter inducatur præventio jurisdictionis, per eamque forus competens acquiratur? Resp. I. *Præventio*, de qua in proposito, dicitur illa, per quam unus iudex jurisdictionem alterius, cæteroquin etiam competentis, prævenit, seu præoccupat; ita, ut iste amplius causæ præventæ se nequeat intrromittere. Ita in re communis.

66. *Contingit tripliciter*. — Et talis præventio potest contingere tripliciter. I. In causis mixti fori; de quibus supra §. præced. n. 151, et seqq. II. In reo mutante domicilium, postquam a iudice prioris loci jam citatus, sicque præventus fuit; ut c. *Proposuisti*. 19. h. t., estque uberius dictum supra § 2. n. 43. III. In pluribus delegatis in solidum: nam tunc uno eorum negotium inchoante commissum, alii se nequeant ulterius intrromittere, c. *Cum plures*. 8. de *Officio delegat.* in 6.

167. *Inducitur per citationem legitime interpositam*. — Resp. II. Præventio fori, seu jurisdictionis, inducitur per citationem legitime interpositam. Desumitur hoc ex c. *Proposuisti*. 19. h. t., ubi Glossa inquit, ac pluribus probat; quod per solam citationem perpetuetur jurisdictio tam ordinarii, quam delegati, Concordat textus in l. *Si quis postea*. ff. de *Judiciis*, estque communis. Idque merito; nam, ut habet reg. 54. juris in 6: « Qui prior est tempore, potior est jure: » ac proinde etiam iudicis præoccupantis, seu legitime citatione prævenientis, in causa illa potius jus, seu melior conditio esse debet præ alio, vel aliis. licet cæteroquin competentibus iudicibus. Simile quid contingit in c. *Non injuste*. 14. de *Procurat.*, et c. *Si quis iusto*. 46. de

Elect. in 6. et l. *Qui prior*, ff. de *Judiciis*, cum similibus. Unde

168. *Bene legitima citatione præventus ab uno ex pluribus iudicibus, sortitur forum coram eo*. — Resp. III. Reus legitima citatione præventus ab uno ex pluribus iudicibus, sortitur forum coram ipso: adeo, ut iudex præveniens procedere debeat in causa, alteriusque, licet cæteroquin competentis iudicis jurisdictionem silere et quiescere faciat. Ita Federicus de Senis consil. 97. § *Venio ad recitationem*; card. Tuschus litt. P. concl. 646. n. 1; Prosper Farinacius, lib. I. *Praxis criminal.* tit. I, de *Inquisitione*. quæst. 7, n. 52, pluribus ampliationibus hanc conclusionem illustrans; Gailus lib. I. *Pract.* observat. 29. n. 5, et alii. Ratio est eadem, quæ num. præc. Accedit, quod, ubi cœptum est iudicium, ibi de jure finiri debeat, l. *Ubi cœptum*, ff. de *Judiciis*.

169. *Si tamen non opponitur exceptio præventionis, valent gesta coram alio*. — Infertur proinde, quod si aliquando non obstante præventionem iudex concurrens causam præventam acceptare velit, contra ejus jurisdictionem excipi possit jura præventionis: siquidem exceptio præventionis est declinatoria fori. Maranta in *quæst. legalib.* disp. 6, n. 26. Quod si vero non opponatur exceptio præventionis, valent gesta coram alio iudice, quam qui prævenit; Mascardus de *Probationib.* concl. 1233, n. 13; Gailus cit. observat. 29, n. 6, et alii.

170. *Citatio invalida non arctat citatum, nec perpetuat jurisdictionem citantis*. — Dicitur notanter in conclusione, « Reus legitima citatione præventus, » quia, ut præventio per citationem inducatur, requiritur, ut hæc fuerit legitime facta, c. *Proposuisti*, 19. h. t. Ad hoc autem requiritur imprimis, ut citatio sit valida: nam citatio invalida, seu facta a iudice incompetente, vel alias a jure reprobata, nec arctat citatum, c. *Bona memoria*, 36, juncta Glossa fin. de *Elect.* Nec perpetuat jurisdictionem citantis, arg. cit. c. *Proposuisti*, h. t., ac notat Abbas n. 6, et Barbosa ibid. n. 5; Federicus de Senis d. consil. 107, § *Venio ad expositionem*. Farinacius cit. quæst. 7, n. 61, et alii. Ratio est, quia quod nullum est, nullum producit effectum. c. *Illud*. 8. de *Jure patronat.* Et paria sunt, non esse, et nullum esse, arg. l. *Duo sunt Titii; de Testamentar. tutel.*

171. *Ut inducat præventionem, debet citatio emanasse auctoritate iudicis, atque ad petitio-*

nem partis. — Deinde, ut per citationem inducatur præventio, atque perpetuetur iudicium iudicis citantis, requiritur, quod dicta citatio emanaverit auctoritate iudicis, et quidem ad petitionem partis, arg. cit. c. *Proposuisti*, h. t. ibi: « Ad petitionem cuiusdam adversarii sui, a te legitime citatus ad causam: » et notat Abbas ibid. n. 3, et Barbosa n. 2. et 3; Bartolus in l. *Ad peremptorium*, ff. de *Judiciis*, et alii. Unde non sufficit, quod quis extrajudicialiter cuipiam litem denuntiaverit, aut iudex motu proprio quempiam citaverit; ubi agitur ad utilitatem privatam.

172. *Ubi agitur ad utilitatem privatam; alias secus.* — Atque hoc ultimum idcirco additur. Quia, ut citatio fiat ad petitionem alterius partis, tunc solum requiritur, quando proceditur ad utilitatem privatam: secus, ubi proceditur ex officio ad utilitatem publicam: uti fit in iudicio inquisitionis, arg. c. *Qualiter et quando*, 24. de *Accusatione*, Abbas cit. n. 3; Engel h. t. n. 52.

173. *Debet etiam citatio pervenisse ad notitiam citati.* — Tandem requiritur, ut citatio pervenerit ad notitiam citati, vel ipse fecerit, quominus ad se perveniret: quia solum decretum citatorium a iudice emanatum non sufficit ad præventionem inducendam. Engel cit. n. 52, post Martham de *Jurisdic.* part. II. cap. III. n. 14. Sufficit autem citatio unica et simplex: et sive sit verbalis, sive realis, seu facta per capturam. Mascardus cit. concl. 1233, n. 7 et 8, allegans alios.

174. *Citatio realis fortior est verbali, etiam anteriori.* — Verumtamen citatio realis fortior, ac præfertur verbali, etiam anteriori. Fagnanus c. *Pervenit*, n. 40. de *Adulter.*, ubi hoc docet in crimine mixti fori, quando iudex ecclesiasticus prævenit in citatione, laicus tamen prævenit in captura criminosa: quia adhuc (inquit) præventio realis præfertur verbali, juxta Bartolum in l. *Sepultura*, ff. de *Sepulch. violat.* Item tenet Farinacius cit. lib. I, quæst. 7, n. 53, allegans plures alios: licet Engel d. n. 52, post Martham: ubi supra n. 19. istud neget in casu, quo citatio verbalis præcessit.

175. *Per leg. Diffamari, C. de Ingenuis manumissis, quid statuatur?* — Quæritur II. Quid sentiendum de iudicio ex leg. *Diffamari*, quisque in eo sit iudex competens? Resp. I. Per leg. *Diffamari, C. de Ingenuis manumissis*, contentam, statuitur: ut si quis alienum statum diffamaverit, quasi servilis conditionis existat, talis diffamatus auctoritate hujus

legis possit officium iudicis implorare, ut diffamatori certum terminum præfigat, intra quem contra diffamatum agere, suamque causam proponere, ac probare: sin minus, iudex ei perpetuum imponat silentium, ne ulterius infamet: et si obstinatus non pareat sententiæ, mulctetur; prout amplius liquet ex textu citatæ legis.

176. *Habet locum in diffamatione super omni genere causarum, tum criminalium, tum civilium majoris momenti.* — Licet autem memorata lex *Diffamari* expresse solum loquatur de diffamatione super statu servili, seu quod quis sit conditionis servilis: nihilominus tum ex mente ipsius, tum ex recepta consuetudine ac praxi iudiciorum, ea etiam locum habet in diffamatione super omni genere causarum, tum criminalium, tum civilium; dummodo sint majoris momenti, et non de levioribus tantum. Unde generaliter, si quis diffamaverit alterum, sive de aliquo delicto, sive de debito (hoc est, quod sit iniquus rei suæ possessor, aut sibi obligatus ex contractu, vel quasi contractu, ac necdum satisfecerit) potest diffamatus uti beneficio dictæ legis: ita, ut ad ejus instantiam iudex diffamanti debeat terminum competentem præfigere, intra quem vel objecta probare teneatur; vel, si contumaciter se absentaverit, aut in probatione defecerit, perpetuum ipsi silentium imponatur. Wessenbecius in *Commentar. codicis*, l. VII, tit. XIV; Gailus, lib. I *Practic.* observat. 9. n. 2. Engel h. t. n. 56, et alii.

177. *Quæ requirantur, ut remedio leg. Diffamari locus sit.* — Cæterum, ut remedio legis *Diffamari* locus sit, requiritur imprimis juxta proxime dicta, ut diffamatio sit de causis gravioribus, et majoris momenti: non item de levibus, utpote quæ non infamant, nec scandalum generant. Deinde requiritur, ut de facta diffamatione iudici probabiliter constet: unde non creditur nudis narratis diffamati, seu implorantis officium iudicis; sed antequam iudex citationem diffamatoris emittat, oportet, quamdam summariam causæ cognitionem ac probationem, ratione factæ diffamationis præmitti. Et quidem dicta diffamatio plerumque vel litteris diffamantis, vel testibus eam audientibus, summarie probatur.

178. *In iudicio ex leg. Diffamari, iudex competens est iudex diffamati.* — Resp. II. In iudicio ex lege *Diffamari*, iudex competens est iudex diffamati: ita tamen, ut si diffamator sit alienæ jurisdictionis, proprius ejus iudex a iudice diffamati sit requirendus pro executione citationis, et debitæ comparitionis injungendæ. Ita Gailus cit. observat. 9. n. 3. post Alexandrum consil. 103, l. V, et Bartolum l. *In criminali*, n. 1. C. de *Jurisdic. omn. judic.*; Engel h. t. n. 57 et 58, et alii. Ratio prioris partis est, quia actor tenetur sequi forum rei, c. *Cum sit generale, de Foro competenti*, cum similibus: atqui per medium legis *Diffamari*, diffamans constituitur actor; nempe, ut causas traductionis, seu diffamationis, apud iudicem in termino præfixo proponat, atque deducat, sub pœna impositionis perpetui silentii, cit. l. *Diffamari, C. de Ingenuis manumissis*, et l. *Titia, ff. de Accusat.*; ergo tenetur sequi forum rei, seu diffamati.

179. *Solvitur instantia.* — Nec obstat, quod nemo invitus agere cogatur, l. un. C. *Ut nemo invitus*, etc. Fallit enim hoc in pluribus casibus, ibidem a Glossa enumeratis; ac præsertim tunc, quando ex causa statuitur cuipiam a iudice terminus vel agendi, seu accusandi, vel in perpetuum tacendi; ut cit. l. *Titia, ff. de Accusat.* Accedit, quod adhuc in libertate citati, seu diffamantis sit, agere, vel non agere, eligendo potius impositionem perpetui silentii. Innocentius in c. *Cum nobis, de Election.* Gailus cit. observat. 9, n. 6, cum aliis.

180. *In causis diffamationum duplex intervenit iudicium; unum, diffamationis, alterum actionis principalis. In iudicio diffamationis, clericus diffamans nequit conveniri coram iudice laico.* — Dices. Diffamatus in tali causa est actor, utpote qui prior ad iudicium provocat, arg. l. *In tribus, ff. de Judiciis*; ergo in iudicio ex leg. *Diffamari*, iudex competens est iudex diffamantis, non diffamati, contra datam conclusionem. Resp. neg. anteced. Nam, ut recte notat Gailus cit. l. I. *Pract.* observat. 11. n. 2. in causis diffamationum duplex est iudicium. Primum est diffamatorium, in quo videlicet de veritate factæ diffamationis, seu traductionis agitur, atque in hoc diffamatus censetur actor, utpote cujus nudæ narrationi fides non adhibetur, sed requiritur summaria causæ cognitio et probatio, ut dictum n. 177. Ex quo consequens est, quod in hoc iudicio diffamationis, diffamans habeatur reus; ac proinde laicus non habeatur pro iudice competente respectu clerici diffamantis, cum clericus non nisi coram ecclesiastico conveniri valeat; Jacobus Pigna-

tellus *Consultat. canonic.* tom. I. consult. 150, n. 31. post Franch. decis. 637, n. 4, et alios. Secundum est iudicium actionis, seu causæ principalis, in quo diffamator citatus, si sua interesse putaverit, intra terminum præfixum de jure suo docere, et causas factæ a se diffamationis, seu traductionis probare tenetur; idque sub pœna perpetui silentii sibi cæterisquin imponendi. Atque in hoc iudicio diffamator est actor: nam diffamando tacite se ad agendum obligavit; quia diffamare est tacite ad iudicium provocare, per textum in cit. l. *Diffamari*, et notat Baldus ibid. n. 8 et 10, atque Alexander consil. 52, n. 3, vol. II.

181. *Si reus, puta diffamator et alienæ jurisdictionis, proprius ejus iudex pro executione citationis est requirendus.* — Altera pars conclusionis, quod nempe, « si diffamator sit alienæ jurisdictionis, proprius ejus iudex sit requirendus pro executione citationis, » etc. probatur ex eo, quia citatio extra territorium, simulque non subditi (quod additur propter dicta superius § 2, n. 29 et 30) vires non habet, cap. ult. de *Constitut.* in 6, et l. fin. ff. de *Jurisd. omn. judic.* unde pro executione citationis oportet proprium diffamatoris, utpote rei citati, iudicem requirere. Engel h. t. n. 58, citans Mundium in tract. ad leg. *Diffamari*, § 3, n. 235, ubi formam hujus requisitionis præscribit.

182. *Hac citatione non obstante, potest diffamator, seu actor, postea convenire diffamatum, coram quo maluerit ejus iudice. In separatis ea uno ad aliud non inferitur.* — Plura de iudicio ex leg. *Diffamari*, apud Gailum cit. lib. I. *Practic.* observat. 9, 10, 11 et 12. Ubi observat. 11, n. 3 et seqq. post Socinum in c. *Proposuisti*, h. t. notanter observat, quod si diffamatus (qui in iudicio diffamationis erat actor, in iudicio actionis vero fit reus) plures habuerit iudices, possit diffamator eum convenire, coram quo maluerit: quia in optione diffamatoris, utpote nunc actoris, est, unum ex ipsis eligere. Neque enim præventio impresentiarum locum habet ex citatione facta in iudicio diffamatorio, ubi diffamator erat reus, diffamatus autem actor, et probans factam ab altero diffamationem suam. Siquidem iudicium diffamationis, et iudicium actionis, sunt diversa iudicia, juxta dicta n. 180. Atque in separatis, ex uno aliud non inferitur. l. *Duobus, ff. de Testament. tutel.*, et ibi Bartolus in sumuario, et alii; ergo.

184. *Referuntur alii modi extraordinarii*

sortiendi forum. — Quæritur III. An dentur alii modi extraordinarii sortiendi forum, et quales? Resp. Dari complures. Sic enim ulterius sortitur quis forum ratione appellationis, can. *Peregrina*, 3, q. 6, junctis illis, quæ notantur tit. *De Appellationibus*. Item ratione conventionis, can. *Cujus in agendo*, 3, q. 8, atque amplius declarabitur infra tit. IV. *De mutuis petitionibus*. Item ratione recusationis, seu quando iudex suus ex justa causa recusatur, c. *Si quis contra*, h. t. Item ratione consuetudinis: nam consuetudo dat jurisdictionem, can. *Conquestus*, 9, q. 3 et c. *Cum contingat*, juncta Glossa fin. h. t. Item ratione militiæ: sic enim milites delinquentes puniuntur a duce, sub quo militant, l. *De militibus*, ff. de *Custod. et exhibit. reor.* Item ratione negligentiae iudicis sæcularis: nam hæc potest suppleri per iudicem ecclesiasticum, sicque forum hujus acquiri, c. *Licet eas suscepto*, 10 et c. *Ex tenore*, 11, h. t. estque uberius jam declaratum in l. I, tit. X. *de Supplenda negligentia prelatorum*, § 3, n. 44 et seqq. Atque, ut plures alii tales modi taceantur, de quibus fuse agit Speculator tit. *de Competentis iudicis aditione*, § 4, per totum.

184. *Scholares ex privilegio sortiuntur forum coram suo rectore; et cun?* — Tandem sortitur quis forum ratione privilegii. Sic enim studiosi coram suo rectore forum sortiuntur, Auth. *Habita*. C. *Ne filius pro patre*, etc. Adeo quidem, ut etiamsi alibi deliquerint, aut debitum contraxerint, quamdiu studiorum causa alicubi reperiantur, neutiquam ad locum delicti vel debiti sint remittendi; ne hac occasione a studiis avocentur atque impediuntur: sed, si litein eis quispiam super aliquo negotio movere voluerit, coram eorum rectore conveniri, quin etiam capti in loco delicti ad magistratum academicum remitti debeant; prout amplius tum in cit. Auth. *Habita*, tum in propriis singularum universitatum privilegiis continetur. Atque hujusmodi speciale privilegium, et protectio, meritissime scholaribus concessum fuit, utpote « quorum (inquit ibidem imperator) scientia totus illuminatur mundus, et ad obediendum Deo, et nobis ejus ministris vita subjectorum informatur. Quis enim eorum non misereatur, qui amore scientiæ exules facti, de divitibus pauperes, semetipsos exinaniunt, vitam suam multis periculis exponunt, et a vilissimis sæpe hominibus (quod graviter ferendum est) corporales injurias sine causa perferunt? » Hactenus nova constitutio Friderici imperatoris,

quæ refertur in cit. Auth. *Habita*. C. *Ne filius pro patre*, etc.

185. *Item clerici coram iudice ecclesiastico.* — Huc accedit speciale privilegium clericorum, vi cujus non nisi coram iudice ecclesiastico conveniri valent. Sed quia circa hoc plura, simulque notabilissima, atque uberiores declarationem requirentia dubia occurrunt, merito de ipso in specialibus paragraphis agendum videtur: unde sit

§ IX.

DE PRIVILEGIO FORI CLERICORUM; ET QUO JURE PROVENIAT?

186. *Privilegium fori, quid?* — Quæritur I. An clericis competat privilegium fori, et qui nomine clericorum hic veniant? Ubi per *Privilegium fori* intelligitur illud, vi cujus quis exemptus est ab omni potestate et jurisdictione fori sæcularis; adeo, ut non possit amplius a iudice sæculari in iudicium trahi, carcerari vel puniri, sed dumtaxat ab ecclesiastico. Quo prænotato

187. *Eo gaudent clerici.* — Resp. I. Certum est, atque inter catholicos indubitatum, quod clerici gaudeant privilegio fori, seu exemptionis a jurisdictione et potestate fori civilis; adeo, ut ipsi ad iudicium fori sæcularis trahi non possint. Et quidem neque in causis criminalibus, can. *Nullus iudicium*, et can. *Relatum*, 11, q. 1, et c. *At si clerici*, 4, de *Judiciis*, cum concordantiis. Neque in causis civilibus, can. *Bene quidem*, dist. 96, et can. *In Canonibus*, 16, q. 1, et c. *Ecclesia Sanctæ Mariæ*, 10, de *Constitut. et c. Qualiter et quando*, 17, de *Judiciis*, et c. *Si diligenti*, 12, de *Foro competent.*, et Auth. *Statuimus*. C. *de Episc. et cleric.* cum similibus; atque amplius ex dicendis in progressu patebit.

188. *Clericorum nomine, qui hic comprehendantur?* — Resp. II. *Clericorum* appellatione in præsentî materia veniunt omnes omnino clerici, sive sint primæ dumtaxat tonsuræ, aut in ordinibus minoribus constituti, can. *Cleros*, dist. 24 et c. *Cum contingat. de Ætate et qualit. præfic.*, dummodo habeant conditiones de jure requisitas, cap. ult. *de Cleric. conjugat.* in 6, et concilio Trident., sess. 23, cap. vi, *de Reform.* Sive sint constituti in ordinibus majoribus, cit. can. *Cleros*, dist. 24. Aut etiam in dignitate ecclesiastica, c. *Cum tibi*, 18, juncta Glossa fin. *de Verb. signif.*

189. *Et qui, si materia sit odiosa?* — Licet

§ IX. DE PRIVILEGIO FORI CLERICORUM; ET QUO JURE PROVENIAT? 235

enim in materia odiosa, vel ubi tractatur de pœna clericis inferenda, seu de eorundem damno ac incommodo, appellatione *Clericorum* tantum veniant simplices clerici; non autem illi, qui in dignitate ecclesiastica constituti sunt, nisi horum fiat specialis mentio; c. *Sedes*, 15, de *Rescript.*, et c. *Statutum*, 22, de *Elect.* in 6, et c. *Quia periculosum*, 4, de *Sentent. excomm.* in 6. Secus iamen est in materia favorabili, qualis est hæc agens de privilegio fori clericorum: istud enim merito est extendendum, c. *Odia*, 15, de *Reg. jur.* in 6, cum similibus.

190. *Etiam monachi, regulares, moniales, ac novitii gaudent privilegio fori.* — Resp. III. Insuper nomine *clericorum* impræsentiarum veniunt monachi, aliique regulares religionum ab Ecclesia approbatarum, tam professi, quam novitii, imo et moniales, harumque conversæ et novitiæ; ac proin omnes hæ personæ gaudent privilegio fori. Ita Felinus in c. *Licet* n. 8, de *Offic. ordinar.* Barbosa lib. I, *Jur. eccles. univ.*, cap. xxxix, § 2, n. 40, citans alios, estque communis. Nam omnes tales sunt personæ ecclesiasticæ, ac Dei servitio, divinisque ministeriis specialiter deputatæ; atque ideo in materia favorabili (qualis hæc est) veniunt appellatione clericorum; ut can. *Quisquis inventus*, et can. *Si quis suadente*, 17, q. 4.

191. *Novitius grave crimen committens, coram iudice ecclesiastico conveniendus est.* — Atque ex his inferitur, quod si novitius grave crimen committat (non solum istud intelligendo de crimine contra religiosam atque ecclesiasticam disciplinam commisso; sed etiam loquendo de crimine atroci, et cui capitalis pœna cæteroquin debetur, ut est homicidium, etc.) is coram iudice ecclesiastico, seu prælato religionis sit conveniendus, non autem coram iudice sæculari: quia jam gaudent privilegio fori, estque favore religionis a civili potestate exemptus; Emmanuel Rodericus, tom. II. *Quæst. regul.*, q. 2, art. 10; Ascanius Tamburinus, tom. III, *de Jure abbatum*, disp. 6, quæst. 28, n. 3; Laurentus de Franchis, part. II, quæst. 46, n. 1, et alii passim.

192. *Etiamsi dimisso habitu redeat in sæculum: quamvis nonnulli contradicant.* — Quinimo multi doctores hoc ampliant, atque intelligunt etiam in eo casu, quo novitius tempore novitiatus graviter delinquens, postmodum dimisso habitu redit ad sæculum: adhuc enim (inquiunt) talis propter delictum in no-

vitiatu commissum non per iudicem sæcularem, sed per ecclesiasticum dumtaxat erit puniendus: nam quoad pœnas imponendas inspicitur tempus commissi delicti, l. I, ff. *de Pœnis*. Layman lib. IV, *Theolog. moral.* tract. IX, cap. iv, n. 14, et cap. vii, n. 5, ubi hoc ipsum docet de clerico minorista, qui privilegio fori gaudens committit delictum, et postmodum ducta uxore illud privilegium amittit; nam adhuc (inquit) de crimine illo ab ecclesiastico, et non a sæculari iudice, judicandus est. Barbosa cit. n. 40; Diana part. III, tract. I, resolut. 34. Ascan.; Tamburinus cit. quæst. 28, n. 6; pluresque alii ab his relati; quamvis non pauci etiam oppositum teneant, ut Molina tom. IV, *de Justit.* tract. III, disp. 49, n. 24; et Farinacius lib. I, tit. *de Inquisitione*, quæst. 8, n. 46, ampliatis 16, et alii apud Farinacium, et Dianam, ubi supra, relati. (ADNOTATIO XXXIII.)

193. *Quo jure privilegium fori competat clericis, variant doctores.* — Quæritur II. Quo jure competat clericis privilegium fori? Resp. Celebris est hæc controversia, atque in ejusdem resolutione plurimum variant doctores, qui generatim in duas extremas abeunt sententias: quarum una docet, exemptionem clericorum a potestate sæculari, esse de jure naturali ac divino; altera vero sententia priori contraria censet, dictam clericorum exemptionem non esse de jure divino obligantem, sed solum de jure humano, ac per privilegia in corpore utriusque juris clausa, seu per diversas constitutiones, tum imperiales, tum canonicas clericis concessam; quamvis legi naturali ac divinæ, in judicialibus veteris legis adumbratæ, sit valde conformis. Juvabit proin utriusque sententiæ rationes præcipuas considerare.

194. *Refertur ac probatur sententia, volens exemptionem clericorum esse de jure dumtaxat humano.* — Et quidem posterior sententia, volens exemptionem clericorum a potestate laicali esse de jure dumtaxat humano, suadetur imprimis ex eo: quia talem exemptionem esse de jure divino, neque ex sacra Scriptura, neque ex traditione apostolica constat, quin potius inde oppositum desumitur. Nam Christus Dominus generaliter et indistincte docuit, atque præcepit *Matth.*, xxii, 21, dicens *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo*. Imo quod plus est, hoc ipsum opere complevit *Matth.*, xvii, 26, ubi pro se, et Petro, jussit solvi